



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Augustini Barbosaes ... Collectanea doctorum tam
veterum, quam recentiorum, in ius pontificium universum**

In Qvo Qvintvs Decretalivm Libri continetvr

Barbosa, Agostinho

Lugduni, 1669

De Purgatione Canonica. Tit. XXXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95280](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95280)

De Purgatione Canonica, Tit. XX XIV. 255

his Canon. & Civilis differentias illam esse in nostro proposito receptissimam, quod secundum ius Canon. existimat communis nonale esse agrum, seu terram, nunc primum, seu de nono proficillam, de qua non extat hominum memoria, quod aliquando culta, seu cultinata fuerit, per text. in c. 1. & in cap. qui per nonale, de verbor. signif. optimè Bellam. in Clem. Religiosi, n. 187. de decimis, & ex Abb. conf. 71. & aliis comprobatur. Card. Tusch. tom. 1. lit. N. concl. 115. Pet. Gregor. syn. tagmat. iuris, lib. 1. c. 2. n. 2. Henric. Canif. de decimis, c. 11. n. 1. & in summa iuris Pontificij, lib. 2. tit. 26. §. nonalium. At verò secundum ius Civile explicant esse terram proficillam, quæ anno præterito cessavit, vt per text. in d. l. sylua, & nonalis, ff. de verbor. signif. testatur receptum Rebuff. ibi in princ. licet ipse aliter explicet, & in vtrumque sensum etiam apud bonos Auctores reperiri comprobatur. Lauren. Valla elegantiarum, lib. 6. c. 41. Planè neque secundum hanc iuris Civilis, neque secundum illam iuris Canon. interpretationem videtur stare posse prædictam huius text. decisionem; nam secundum vtramque requiritur, quod terra de nouo proficilla sit, at verò secundum text. in presenti, semper, ex antiquo proficilla nonale remanet.

- 4 Verum omnia disputatione circa veritatem huius differentia de qua ingeniosè Rebuff. ubi proximè, responderi potest adducta in contentium procedere secundum propriam significationem; at verò text. in presenti, procedere secundum iuris interpretationem quoad effectum privilegij immunitatis decimarum, vt constat ex ipsius litera ibi, quoad immunitatem de non solvendis decimis nonalium in re censeri, expendendo distinctionem illam, quoad, quæ dispositionem restringit ad hunc specialem casum, vt ex Anchar. & aliis comprobatur. Card. Tusch. tom. 1. lit. D, concl. 354. Cened. sing. 86. & deinde alia verba ibi, iure censeri, quæ impropriè, & interpretationem secundum iuris censuram important.
- 5 Perpetuo debet, &c.] Notatur ad hoc, quod nonale, quod definit esse nonale, non reassumit eam qualitatem per reditum ad priores, vt per Tiraq. in tract. cessante causa, limit. 12. n. 5.

Baptista Costa de remed. subsid. remed. 15. per rot. Fr. Emman. quest. regul. tom. 2. q. 20. art. 1. & 2. Aldret. de Religiosa disciplina tenenda, lib. 2. cap. 11. Torreblanc. in tract. de Magia, lib. 3. de crimin. puni. c. 20.

S V M M A R I V M.

- 1 Infamatus fide dignus per iuramentum se purgati; aliàs secus, & censetur non idoneus enormiter peccans.
- 2 Purgatio Canonica qua, & an sit in usu, ostenditur.
- 3 Nobilitas propter delictum amittitur.
- 4 Nobilitas per ingressum Religionis an amittatur, ostenditur.

C A P. Nobilis. I.

Ex Concil. Trib.

SI vir nobilis, vel ingenuus, id est, natus liber, accusatus de crimine negat, deficiente accusatore, si ipse est dignus fide, se cum duodecim ingenuis viris purgare debet; si verò prius fuerat deprehensus in furto, vel periurio, vel falso testimonio, non admittitur ad iuramentum, sed ei tanquam non ingenuo indicitur purgatio Canonica. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabara. Ioan. Andr. Host. Butr. Anchar. Panorm. Marian. Socin. Vin. in ration. lib. 5. iuris Pontif. pag. 224. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 729. remissive Ximen. in concord. p. 1. refertur ad Burch. lib. 16. Decret. c. 19. & ab Ant. August. collect. 1. Decretal. sub tit. 30. de purgat. vulgari. c. 1.

Antiquitus sacri Canones illis, contra quos de crimine infamiae, aut graue scandalum, aut vehemens suspicio surgebant, purgationem Canonica indicendam decreuerunt. Quod adè in usu erat, vt multi Summi Pontifices de grauioribus criminibus diffamati, quamvis à nemine iudicari possent, ad remouendum tamen subditorum scandalum solemniter se purgare designati non sint. Sic Damas. Paschalis I. Symmachus publicè purgati sunt, sic Gregor. VII. coram Henric. IV. Pelagius I. coram Narsete expurgati publicè fuerunt, provt referunt Salzed. ad Bernard. in pract. cap. 151. in nou. additione, Fr. Emman. quest. regul. tom. 2. q. 20. art. 1. in princip. Sed iam hodie omnes purgationes Canonicae sunt arbitrariae, vt per Bonacof. commun. crimin. p. 2. verbo purgatio Canonica, fol. 64. verso, Menoch. de arbitr. casu 274. num. 3. imò iam non sunt in usu, nisi in causa hæresis, vt aduertunt Clar. lib. 4. §. fin. q. 63. n. 4. Salzed. loco proximè citato, Gallia const. 18. n. 126. cum seqq. Gail. lib. 2. obseru. 106. Canal. resol. criminal. casu 84. Costa de remed. subsid. remed. 15. n. 4. Peña in direct. Inquisitor. p. 3. comment. 38. pag. 577. & comment. 43. pag. 502.

Sicut qui ingenuus non est.] Notatur ad hoc, quod propter delictum amittitur nobilitas, vt per Tiraq. de nobilit. c. 24. à princip.

In gloss. Ingenuus non est, vlt. ibi, sicut per Monachatum amittit quis nobilitatem.] Notatur ad hoc, quod nobilitas per ingressum Religionis amittitur, intelligit quantum ad ipsos Monachos Deo dicatos, ne videlicet alter altero sit nobilior ac superior, sed sint pares in omnibus, vt per Roman. sing. 37. Tiraq. de nobilit. c. 26. in princip. Rebuff. in pract. nominat. q. 12. n. 31.

De Purgatione Canonica.

TIT. XXXIV.



UPER hanc rubr. scripserunt Zabarel. Ioan. Andr. Anchar. Butr. Panorm. Mar. Socin. Ioan. de Londris in breuiario sanctorum Canonum, fol. 182. Pet. de Rauenna in compend. iuris Canon. Dan. Venat. in analysi method. iuris Pontif. à pag. 707. Goffred. & Host. in sum. huius tit. Alex. Cassan. & Anastaf. Germon. in paratitlis ad quinque libros Decret. Barthol. Carthag. in exposit. tit. iuris Canon. Zypæ in analytica postremi iuris Ecclesiast. enarrat. p. 432. Canif. in sum. iuris Canon. nouissimè Ioan. Honor. lib. 5. sum. in Decret. omnes sub hoc tit.

De materia tit. vide Bonacof. commun. crimin. part. 1. verbo iuramentum, fol. 104. & p. 2. verbo purgatio, fol. 64. Syluest. in sum. verbo purgatio, Clar. in praxi, lib. 5. §. fin. q. 63. n. 4. cum seqq. Bernard. & Salzed. in pract. c. 151. & seqq. Symanc. de Catholicis institut. c. 54. Hieron. Gabr. conf. 160. vol. 2. Direct. Inquisitorum part. 3. in secundo modo processuum fidei terminan. vbi Peña schol. 11. latè Martin. Destr. disquisit. magicarum, lib. 4. cap. 4. q. 3. Ioan. Barbol. Collect. Tom. I I I.

S V M M A R I V M.

- 1 Infamatus tertio monitus se non corrigens, usque ad purgationem ab officio suspenditur.
- 2 Infamia est laesa dignitatis status moribus, ac legibus improbat.
- 3 Infamia sola suspendere potest à beneficio iam obtento.

CAP. Si quis. II.

Ex Concil. Agath.

- ¶ SI Presbyter malè vivat, & infametur, Episcopus debet cogere populum manifestare infamiam Presbyteri, & si defunt aeculatores, Episcopus primò admoneat Presbyterum seorsum, secundò sub duobus, vel tribus testibus, & si non se corrigat, admoneat publica increpatione, & si adhuc non se corrigat, suspendat ab officio usque ad dignam satisfactionem, nec in populo sit scandalum. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabari. Ioan. Andr. Host. Butr. Anchar. Panorm. Marian. Socin. Viu. in ration. lib. 5. iuris Pontif. pag. 225. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 729. remissive Ximen. in concord. p. 2.
- 2 Infamiam eius, &c.] Infamia est laesa dignitatis status moribus, & legibus improbat. l. commissionum. ff. de variis, & extraord. cognit. Farinac. in praxi crimin. p. 3. q. 56. n. 1. Cardos. in praxi iudicum, verbo infamia, n. 1. Quae autem infamia, & qualis debeat esse ad hoc, vt infamatus teneatur se purgare, declarat Bernard. in praxi c. 51. n. 8. cum segg.
 - 3 Ab officio suspendatur.] Ergo sola infamia suspendere potest à beneficio iam obtento, vt per Boer. de iur. 1. 17. n. 1.

S V M M A R I V M.

- 1 Regulares purgant se de delicto secundum regulam Canonicam.
- 2 Sophia Regina de stupro accusata suo, & septem honestarum, ac nobilium faminarum iuramento se purgavit.
- 3 Virginitas quomodo probetur, remissive.

CAP. Moniales. III.

Ex Conc. Meld.

- 1 Moniales si accensentur esse libidinosae, & hoc probari non potest, cogi debent purgare suam famam canonicè secundum regulam. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabari. Ioan. Andr. Host. Butr. Anchar. Panorm. Marian. Socin. Viu. in ration. lib. 5. iuris Pontif. pag. 225. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 730. remissive Ximen. in concord. p. 2. defumitur ex Concil. Melden. c. 70. in impressis, non c. 2. vt tenet Burch. lib. 8. Decret. c. 50.
- 2 Si libidinibus inservire, &c.] Sophiam Reginam de stupro accusatam suo, & septem honestarum, ac nobilium fecminarum ieiurando se purgasse scribit Martin. Deltri. disquisit. magic. lib. 4. c. 3. q. 1. in princ.
- 3 In gloss. Valuerit. Quomodo virginitas probetur ad hoc vt stuprum seu incestus attentatus non intelligatur, vide Baiard. ad Clar. §. stuprum, n. 41. Mascard. de

probat. concl. 140. n. 2. & concl. 1337. à principio Pacian. idem tract. lib. 2. c. 2. à n. 6. Theant. Pedemont. de iur. 1. 2. n. 1. Menoch. de praesumpt. lib. 6. praesumpt. 39. Guicci. canon. lib. 1. c. 37. n. 7. Card. Tusch. lit. V. concl. 709. n. 39. Fium. in praxi crimin. p. 5. q. 147. n. 3. cum segg. & an. 131.

S V M M A R I V M.

- 1 Delictum si est probabile non inducit purgationem alias secus.
- 2 Raptor etiam si raptam in uxorem habeat, sit infamatus.
- 3 Agentes & consentientes pari pena puniuntur, quando consentientes cum agentibus cooperantur possunt.

CAP. Si quis. IV.

CLERICUS si est convictus, vel manifestè confessus, repellitur à proprio gradu si verò manifestè non probatur, sed est verisimilis suspicio, canonice se purgare debet. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabari. Ioan. Andr. Host. Butr. Anchar. Panorm. Marian. Socin. Vinian. in ration. lib. 5. iuris Pontif. pag. 225. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 730. remissive Ximen. in concord. p. 1. defumitur ex Concil. Melden. c. 68. non c. 5. vt refert Burch. lib. 9. Decret. c. 32.

A proprio gradu repellatur.] Hodie in Concil. Trident. sess. 24. de reform. matrim. c. 6. contra raptorem statutum: Et nihilominus raptor ipse, ac omnes qui consilium, ac fauorem praebentes sunt ipso iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; & si clerici fuerint, de proprio gradu decedant. Cuius decreti declarationem procedere, ac per consequens infamem fieri raptorem, etiam si raptam in uxorem habeat, resoluunt Less. de iust. lib. 4. c. 1. ad tit. 9. num. 69. Farin. in praxi crimin. q. 145. n. 14. & n. 102. quicquid raptorem huiusmodi infamem non fieri et ea ratione quia aliàs rapta cogere tur habere infamiam contra expressa Concilij verba, nimis bene confirmaverunt Henric. in sum. lib. 12. c. 14. n. 4. si dicat non ita fit. Fr. Emman. in sum. som. l. c. 23. n. 4. cor. 10. sexto. Petr. Ledesm. in sum. p. 1. de Sacram. Matrim. c. 26. dnb. final. Circa verò excommunicationem in illo Concil. decreto comminatam, an sit laesa libertas, & de referuatis Pontifici, vide Fatim. d. q. 145. n. 1. Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 13. à princ. Bonac. eodem tract. q. 4. punct. 18. n. 9. in fine. Valer. Reginald. in praxi fori poenit. lib. 22. n. 31. vers. de excommunicatione.

In gloss. Consensorem, ibi, qui enim consentit, quando cumque ut faciens puniunt. Intelligit quando consentientes cum agentibus cooperantur poenitent, praebendo causam efficacem, & propinquam principali auctori delinquenti, vt per Conar. in regul. peccatum. p. 2. d. 1. à princip. Menoch. de arbit. casu 348. Farin. in praxi crimin. p. 4. consil. 66. n. 18. Flamin. de confidenc. q. 2. n. 5. Molin. de iust. tract. 2. disp. 73. sub n. 1.

S V M M A R I V M.

- 1 Infamatus, contra quem crimen probari non potest, debet se purgare iuramento de veritate, compurgatores verò de credulitate.
- 2 Talionis poena an hodie locum habeat, remissive.
- 3 Episcopalis dignitas est Ordo.
- 4 Purgatores debent esse bonae opinionis.
- 5 Qui non potest per se, non potest per alium.

CAP. Quoties. V.

Innoc. III.

- E**piscopus accusatus de simonia, si accusatores non probant, debet se purgare cum tertia manu sui Ordinis, & quarta Abbatum, & Religiosorum Sacerdotum; forma autem purgationis servanda talis est. Episcopus iuret super sancta Dei Evangelia, quod pro Ecclesia S. Petri Presbytero danda nihil per se, vel per alium accepit, nec aliquid eo sciente accepit. Compurgatores super sancta Dei Evangelia iurent quod credunt illum dicere verum. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabari. Ioan. Andr. Host. Butr. Anchar. Panorm. Marian. Socin. Viu. in ration. lib. 5. iuris Pontif. pag. 226. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 730. remissive Ximen. in concord. p. 1. & 2. refertur ab Ant. August. collect. 1. Decret. lib. 5. tit. 29. c. 4.
- In gloss. Accusatores, ibi, puniri debent pena talionis. An hodie locum habeat, vide Duen. reg. 72. Couar. variar. lib. 2. c. 9. Bellet. disquisit. clerical. p. 1. in de discipl. clerical. §. 10. n. 14. Clar. §. fin. q. 28. vers. sed quero.
 - In gloss. Sui Ordinis, ibi, quod Episcopalis dignitas sit Ordo, sequuntur Zabari. in Clem. 2. n. 12. de arate, & qualitate. Nanar. in manuali. c. 2. n. 13. vers. quare. Butsat. cons. 125. a princip. vol. 1. Campanil. in divers. iuris Canon. rubr. 2. n. 2. Ego ipse de offic. & potest. Episc. part. 2. alleg. 2. n. 18.
 - In gloss. Religiosorum, ibi, Compurgatores debent esse bone opinionis. Vide Bernard. in pract. c. 151. n. 4. Ioan. Franc. Leo in thesuro fori Ecclesiastici. p. 3. c. 6. n. 28.
 - In gloss. Summissam, ibi, non enim licet mihi per alium, quod per me non licet. Quia qui non potest per se, non potest per alium; de quo vide Thom. de Thomasset. in floribus legum reg. 246. relatum in libello in principii viriisque iuris, lit. F. n. 1.

S Y M M A R I V M.

- Episcopus Parochianum suum infamatum compellit ad se purgandum, nisi ab eo legitime appellaverit.
- Index Ecclesiasticus non cognoscit de criminibus laicorum, nisi quatenus spectant ad forum Conscientie.
- Lex Canonica in foro seculari servanda est, ubi agitur de materia peccati etiam venialis.

CAP. Nos inter. VI.

Alex. III.

- E**piscopus potest compellere suum Parochianum laborantem infamia de aliquo crimine publico deficiente accusatore, & testibus, si non appellat, quia si appellat, index appellationis indicabit. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabari. Ioan. Andr. Host. Butr. Anchar. Panorm. Marian. Socin. Viu. in ration. lib. 5. iuris Pontif. pag. 226. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 730. remissive Ximen. in concord. p. 2. refertur ab Ant. August. collect. 1. Decret. lib. 5. tit. 29. c. 7.
- In gloss. Deficientibus, ibi, sed nunquid Episcopus potest de quolibet crimine, &c. Notatur ad hoc, quod de criminibus laicorum non cognoscit index Ecclesiasticus, nisi quatenus spectat ad forum Conscientie, ut per D. Barbof. in l. Titia, mun. 50. ff. solut. matrim. Vnde Barbof. Collect. Tom. III.

optimo iure Ordinatio Regia Lusitan. lib. 3. tit. 64. in princip. statuit in materia peccati servandam esse legem Canonica in suo foro seculari, & advertunt Surd. decis. 159. n. 9. & de aliment. tit. 7. q. 29. n. 11. Camil. Borrel. in summa omnium decis. decis. 13. de legib. n. 8. quod procedit etiam agatur de solo peccato veniali, Ripa in cap. sepel. n. 6. de restitut. spoliat. Aleiat. in cap. nonis, n. 19. de iudiciis, & in cap. cum contingat. n. 5. de iureiur. Surd. d. q. 29. n. 12.

S Y M M A R I V M.

- Compurgatores debent esse honesti, & notum habere eum, quem purgant, nec debent a iudice, vel ab alio impediri, & deficiens in purgatione, punitur ut convictus.
- Deficiens in purgatione quas penas incurrit, remissive.

CAP. Cum P. VII.

Purgatores debent esse honesti, & bonae opinionis, & quod verisimile sit eos nolle deierare amore, odio, pecuniis, & quod cognoscant vitam, & conversationem illius, qui purgatur. Item qui deficit in purgatione, est privandus omni officio, & beneficio. Item qui recipit purgationem, non debet ostendere malevolentiam, vel indignationem, nec impedire, nec permittere impediri compurgatores. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabari. Ioan. Andr. Anan. Host. Butr. Anchar. Panorm. Marian. Socin. Viu. in ration. lib. 5. iuris Pontif. pag. 227. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 730. remissive Ximen. in concord. p. 2. refertur ab Ant. August. collect. 1. Decret. lib. 5. sub tit. de accusat. c. 12. & est pars cap. cum P. sub illo tit. & ad finem illius continuatur haec pars.

Deficientem vero in purgatione, &c. De penis quas pati debent deficientes in purgatione, vide Bernard. in pract. c. 152. Symanc. de Catholicis instit. c. 54. n. 7. Fr. Emman. quest. regul. tom. 2. q. 20. art. 2. ubi refert, quod licet Clericus accusatus puniatur tanquam convictus, si defecerit in purgatione, Religiosum tamen eodem modo non puniri nititur probare, ut apud ipsam videri potest.

S Y M M A R I V M.

- Absolutio facta secundum purgationem vulgarem non tenet, & ea non obstante potest indicari de novo purgatio, & admittitur accusatio.
- Purgationem suam qui rite perfecit, index sine mora debet illum declarare innocentem.
- Sententia nulla nunquam transit in rem iudicatam, nullaque indiget revocatione.
- Infamiam iuris licet Princeps removere possit, non potest tamen removere infamiam facti.

CAP. Ex tuarum. VIII.

Luc. III.

Infamato, qui se purgavit purgatione vulgari, id est, iudicio aquae frigidae, & ideo liberatus fuit, potest de novo purgatio Canonica indicari, licet idonei accusatores non appareant, id est, ut cum septima, vti quinta manu sui ordinis ostendat suam innocentiam. quod

quod si fecerit, est absolvens a suspensione, & infamia, non obstante contradictione, vel oppositione alicuius. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabab. Ioan. Andr. Hofst. Butr. Anchar. Panorm. Marian. Socin. Viu. in ration. lib. 5. iuris Pontif. pag. 227. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 731. remissive Ximen. in concord. p. 1. & 2. refertur ab Ant. August. collect. 1. Decretal. lib. 5. tit. 29. cap. 5. & est post Concil. Lateran. sub Alex. III. p. 50. c. 50.

2 *Quam cum praestiterit, &c.*] Notatur ad hoc, quod si quis suam purgationem rite perfecerit, iudex sine mora debet illum declarare innocentem, & ab infamia criminis absolvere, illumque in pristinum statum restituere, vt per Fr. Emman. con. 2. quest. regul. q. 20. art. 2. in princip. Soar. de relig. tom. 1. lib. 1. de irreligiositate, c. 3. n. 8.

3 In gloss. *Non putares, ibi, sententia, qua nulla est, non liberat aliquem.* Quia sententia nulla nunquam transit in rem iudicatam, Azeved. l. 3. n. 28. tit. 1. lib. 4. noua recop. Cald. Pereira quest. forens. lib. 2. q. 37. a princip. Amar. Roderic. in pract. cap. ult. p. 2. num. 10. & 11. nullaque indiget reuocatione, Stephan. Gratian. disceptat. forens. cap. 266. num. 13. nec inducit exceptionem litis pendentiae, idem Stephan. Gratian. cap. 531. num. 61.

4 In gloss. *Absoluas, ibi, quia infamiam facti omnino remouere solius Dei est.*] Aduerte, quod licet Pontifex possit delinquenti famam restituere, & iuris infamiam ex delicto incursum tollere, Cacher. decis. 101. num. 2. Sfort. de integritate restit. p. 2. q. 92. non potest tamen remouere infamiam facti, quia opinio hominum de bonitate, vel de malitia alicuius non potest ab aliquo etiam maximo, vel supremo Principe remoueri, Princepsque non potest facere, vt homines credant illum esse bonum, quem credunt, & credere volunt esse malum, imo non nisi a Deo infamia facti aboleri potest, vt per Roman. sing. 469. incip. *Dubitatio est magna.* Verum Sfort. quem refert, & sequi videtur Farin. in practi crimin. p. 1. q. 6. n. 45. vers. in proposito, dicit quod Princeps restituit etiam ab infamia facti, si hoc ei placeat, & exprimat.

SYMMARIUM.

- 1 Compurgator sufficit, quod sit toleratus ab Ecclesia bona fama, nec de crimine suspectus, aut condemnatus.
- 2 Patria ordinandorum inuestiganda, vt exinde sciatur, quibus ipsi sint imbuti moribus.
- 3 Verbum, genus, in Concil. Trid. sess. 23. de reformat. cap. 7. proprie significat illud, quod legitimus, vel liber.
- 4 Neophyti, & qui a Mauris, vel Indeis originem ducunt, an sint incapaces officiorum publicorum, & beneficiorum, ostenditur.

CAP. Constitutus. IX.

1 **C**ompurgatores satis est si sint ab Ecclesia tolerati, & bonae fame, in suis Ordinibus ministrantes, nec in iudicio pro crimine condemnati, & si secundum propriam conscientiam, & opinionem iurent, quod purgandus sit immunis a crimine, nec est inquirendum, vel facienda indagatio de his, sicut de ordinandis. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabab. Ioan. Andr. Hofst. Butr. Anchar. Panorm. Marian. Socin. Viu. in ration. lib. 5. iuris Pontif. pag. 227. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 731. remissive Ximen. in concord. p. 1.

De nationibus.] Notatur ad hoc, quod patria ordinandorum inuestiganda, vt exinde sciatur, quibus ipsi sint imbuti moribus, vt per Tiraq. ad l. 7. commo. gloss. p. 7. n. 17. Vnde in Concil. Trident. sess. 23. de reformat. c. 7. praecipitur Episcopis, vt genus promouendorum ad Ordines inquirent, an scilicet sit filius ancillae, vel seruus, qui promoueri desiderat, vel filius, aut nepos haereticorum, fautorum, defensorum, receptatorum, quos ius ad suscipiendis Ordinibus excludit vsque ad secundum gradum via masculina, vel vsque ad primum via femina. Ita Salzed. in practi. Bernard. n. 24. Fr. Emman. in summ. tom. 1. c. 160. num. 2. & quest. regul. tom. 1. quest. 24. art. 7. Henric. in summ. lib. 1. cap. 17. num. 2. in commento, litera G, Aul. de censuris p. 7. disp. 4. dub. 4. & verba Concil. Trident. dist. 1. ibi, Ordinandorum genus, proprie significat idem, quod legitimus, vel liber, non autem defert ad ascendentes ex genere Hebraeorum teneat. Ceterum Decretal. collect. 77. num. 2. Vnde nullibi reperitur prohibitum, quod conuerti ex Iudaeis ad Ordines non promoueantur, vel quod Episcopi de genere illorum inquirent. Nam, c. constituit, 17. q. 4. delinquentem ex Concil. Tolet. 4. Can. 65. dum decernit Iudaeos, aut eos, qui ex Iudaeis sunt de illis natione ad fidem ex Iudaismo conuersi, non autem delinquentes, qui iam ex infantia tempore baptizati ex Iudaeis originem trahunt, ita Soar. tom. 5. disp. 43. sect. 3. num. 1. quem refert, & sequitur Sanch. in praecipia Decretal. lib. 2. c. 28. n. 15. vbi n. 16. aduertit, quod possunt rebelli iurare esse illum Christianum veterem, nec ab Haereticis, Mauris, aut Iudaeis descendere, quando nati Neophyti sunt ex Iudaeis, vel Mauris, sed ab infamia baptizatus, & quando non est filius, aut nepos viae masculinae, aut filius per viam maternam Haeretici defensoris, receptatoris, vel fautoris Haereticorum. Ideo Extraneitates, & Constitutiones Sanctorum Pontificum prohibentes ne descendentes ex Mauris, Iudaeis, aut Haereticis vsque ad quartam generationem admittantur ad aliquam dignitatem, certumve genus beneficiorum, esse intelligendas ex iuris aequitate non habere locum in descendentes ex illis, qui sponte propria, nulloque mora conuerti sunt, conuersi, tenent Navar. consil. 1. sub tit. de Iudaeis in antiq. & cons. 22. sub tit. de Haereticis, in nouis. Anula de censur. p. 7. disp. 4. dub. 3. vbi addit se recepisse a quibusdam vicis doctis, & in praxi peritis praedictas constitutiones super hac re editas non esse vsu receptas Sanch. d. lib. 2. cap. 27. n. 3. Fr. Emman. quest. regul. tom. 1. q. 14. art. 1. & 2. vbi eod. art. 1. in fine, ait Extraneitas Paul. IV. confirmatam a Greg. XII. postea restitutam fuisse a Sixt. V. vsque ad secundam generationem paternam, & primam maternam, iuxta restrictionem text. in cap. statutum in 2. de Haereticis lib. 6.

In gloss. *Ordinandos, ibi, & inquirendum est de natione, in qua nati sunt, &c.* De requisitis necessariis ordinandis late agit Campanil. in duresor. ino. Canon. rub. 3. n. 5.

SYMMARIUM.

- 1 Infamatus suspendi potest propter morum indocilitatem, nec dum ab officio, sed etiam a beneficio, et augetur propter hoc numerus compurgatorum, si iterum vero ex causa post purgationem praestitam suspenditur quis ad tempus, & deficiunt in purgatione puniuntur vt conuicti.
- 2 Infamatus propter delicti grauitatem a beneficio quaque, nec dum ab officio suspendi potest.

De Purgatione Canonica, Tit. XXXIV. 259

- 3 Recusans se purgare de heresi, officio & beneficio debet priuari.
- 4 Fama sufficit ad inducendam purgationem Canoniam.
- 5 Purgatio Canonica potest indicari quando contra inquisitum ad sunt indicia sufficientia ad torturam.
- 6 Processus in materia fidei per Canoniam purgationem quomodo terminandus, remissive.
- 7 Compurgatores debent esse Catholici, & vita probati.
- 8 Fama & honoris restitutio facienda est iis, qui eius lesionem propter vitia falsò obiecta passi fuerunt.
- 9 Infamatus de heresi tenetur se purgare.
- 10 Deficiens in purgatione, aut eam subire sibi iure indicam recusans presumptione admodum vrgenti conuincitur.
- 11 Clericali privilegio nemo priuandus est nisi conuincatur per veras probationes.

CAP. Inter sollicitudines. X.

Innoc. III.

- 1 Infamatus licet secundum Canones esset ab officio suspendendus donec se purgauerit, tamen propter enormitatem criminis, v. g. heresis, potest suspendi ab officio, & beneficio, etiam nullo accusatore; sed ex sola fama potest episcopus ex officio suo accipere testes contra ipsum, & augetur numerus purgantium; post purgationem ab heresi restituitur beneficium, sed suspenditur ab officio in poenam: donec cesset scandalum, & faciat actus contrarios hereticis: sed si deficit in purgatione, debet pro conuictio haberi, deponi ab officio, & beneficio, & detrudi in Monasterium ad agendam poenitentiam. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabar. Ioan. Andr. Host. Butr. Anchar. Panorm. Marian. Socin. Viuian. in ration. lib. 5. iuris Pontif. pag. 228. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 731. remissive Ximen. in concord. p. 1. & 2. refertur ab Anton. August. collect. 3. Decret. lib. 5. tit. 17. cap. 7. Hanc Decretalem exornauit Pegna, ad Eymeric. in direct. inquisit. p. 2. comment. 14.
- 2 Etiam a beneficio.] Notatur ad hoc, quòd propter delicti gravitatem infamatus a beneficio quoque, ne dum ab officio suspendi potest, donec se canonicè purgauerit, vt per Tiraq. de panis temper. causa 49. n. 35. Et qui recusat se purgare de heresi, officio, & beneficio debet priuari, vt per Sanctar. in tract. de heresi, c. 41. n. 9.
- 4 Fama publica deferente.] Notatur ad hoc, quòd fama sufficit ad indicendam purgationem Canoniam, vt per Malcard. de probat. concl. 773. n. 23. Et purgatio Canonica potest indicari, quando contra inquisitum ad sunt indicia sufficientia ad torturam, vt per Marc. Anton. Gennet. in praxi Curie Archiepisc. Neapol. cap. 32.
- 6 Attendentes autem, &c.] De forma terminandi processum in materia fidei per Canoniam purgationem, vide Penam in direct. Inquisit. p. 3. comment. 42. n. 181. cum seqq.
- 7 Sint Fidei Catholici, & vita probati.] Notatur ad hoc, quòd compurgatores debent esse fidei Catholici, vita probati, & qui conuersionem purgandi Clerici, non tam moderno tempore, quam transacto nouerint, vt per Bernard. in pract. c. 151. num. 4. in nouiss. impress. Penam in direct. Inquisit. p. 3. comment. 38. vers. in causa, Ioan. Franc. Leon. in thesaur. feri Ecclesiast. p. 3. c. 6. num. 28.

Vt infamia conuertatur in bonam famam, &c.] Notatur ad hoc, quòd famæ, & honoris restitutio facienda est iis, qui ob vitia falsò obiecta, eius lesionem passi fuerunt, vt per Couar. var. lib. 1. c. 1. n. 4. in fine, quia honor & vita equiparantur, l. iusta causa, ff. de manum. vind. l. 2. tit. 24. p. 4. & omni temporali commodo honor preferendus est, l. Iulian. ff. si quis omnia cau. testam. Auend. in tract. de iniuria, n. 20. Ioan. Sanct. in select. disp. 46. n. 9. Per nullum namque tempus licet differre famæ restitutionem, aut cuiuscumque alterius rei, cum adest opportunitas restituendi tam ex parte restituentis, quam iniuriam in fama patientis. Soc. lib. 4. de instr. q. 9. art. 1. col. 18. Sà verbo restitutio, post n. 62. quos refert & sequitur Ioan. Sanctus in select. & pract. disput. disp. 43. n. 22. vbi n. 21. resoluit quòd quis certus est famam alicuius læsisse, dubitat verò an integrè satisfecerit, tenetur iterum satisfacere vsque dum sibi liqueat de satisfactione sibi possibili, quia certus de damno illato, dubius autem de satisfactione non constituit æqualitatem: & n. 23. addit quòd si lædens famam alicuius tantandem est læsus ab eo, quem læsit, restituere non tenetur, quia tunc compensatione receptæ iniuriæ ad æqualitatem reducta est iniuria alteri facta.

In poenam autem familiaritatis, &c.] Notatur ad hoc, quòd infamatus de heresi ob familiaritatem cum his, quos hereticos esse agnovit, vehementer de heresi est suspectus & tenetur se purgare, & publicè abjurare, vt per Penam in direct. Inquisit. p. 2. q. 56. n. 7. pag. mibi 381. nam talis ille præsumitur, qualis est, cum quibus conuersatur, vt per Tiraq. in l. 5. conuict. p. 5. num. 29.

In gloss. In arctum Monasterium, ibi, cum deficient in purgatione, &c.] Notatur ad hoc, quòd is qui deficit in purgatione, aut eam subire sibi iure indicam recusat, presumptione admodum vrgenti conuincitur, vt per Conar. in cap. alma mater, p. 1. §. 2. n. 4. in princ.

In ead. gloss. ibi, Cum aliquis condemnatus est verè non presumitur.] Notatur ad hoc, quòd nemo priuandus est privilegio Clericali, nisi conuincatur per veras probationes, & non per præsumptas, vt per Felin. in cap. asserere, n. 6. de præsumpt. Auend. de exequend. mand. lib. 1. c. 22. n. 4. Gam. Luffe. decis. 179. & 281.

SUMMARIVM.

- 1 Compurgatores admittendi debent esse persona vicina & honesta.
- 2 Vicinus presumitur scire facta vicini, & an sit bona fama.
- 3 Vicinus quis dicatur, ostenditur.

CAP. Cùm dilectus. XI.

Compurgatores debent esse personæ vicinæ, & honestæ. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabar. Ioan. Andr. Host. Henric. Butr. Anchar. Panorm. Marian. Socin. Viuian. in ration. lib. 5. iuris Pontif. pag. 229. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 732. remissive Ximen. in concord. p. 1. refertur ab Ant. Aug. collect. 3. Decret. lib. 5. tit. 17. c. 7.

Que vicinus sint.] Ergo vicinus præsumitur scire facta vicini, vt per Socin. reg. 98. Dec. resp. 7. n. 32. lib. 3. & resp. 93. n. 97. lib. 2. Malcard. de probat. concl. 1406. n. 1. cum seqq. latissimè Farin. fragm. crimin. p. 2. lit. I. n. 168. cum seqq. & per consequens an sit bonæ vocis, conditionis, & famæ, vel an decesserit, aut viuus sit, vt per Menoch. de præf. lib. 6. præf. 24. n. 12. cum seqq.

Y 4 Vicinus

Vicinus dicitur ille, qui proximè habitat, Ioseph. Sesse Aragon. decis. 99. n. 5. & propriè ille dicitur, qui alta voce acclamando audiri potest, l. si vicinis, C. de nupt. l. 1. §. eo autem recto. ff. ad Sillan. Signorol. conf. 32. in princ. Alex. conf. 22. Consideratis, n. 5. vers. aliud ergo lib. 4. & conf. 63. in causa & lite, in fine, lib. 7. Tiraq. de retrat. lign. §. 1. gloss. 9. n. 21. Duen. reg. 12 §. in fine princ. Ignat. del Villar. in Sylva respons. lib. 1. resp. 5. p. 1. n. 41. Farin. d. p. 2. lit. I, n. 173. Menoch. de arbit. casu 222. Malcard. de probat. concl. 1406. n. 4. Flores de Mena var. q. 1. n. 6. Christoph. de Pace ad leges styl. l. 64. n. 4. cum seqq. vbi etiam de loci vicinis: Non dicitur tamen vicinus loci, qui ex causa aliqua temporali, vel ratione alienius officij detinetur in aliquo loco, vt per Ioseph. Sesse Aragon. decis. 9. n. 6. & 7.

S V M M A R I V M.

- 1 Purgatio de necessitate non est inducenda si infamia ortum habet ex probabilibus coniecturis, potest tamen iudici ad instantiam purgandi.
- 2 Multitudo facillè sequitur vnius dictum.
- 3 Rescriptum omne impetratum contra ius, censetur per importunitatem obtentum.
- 4 Purgatio Canonica non inducitur si infamia sit simplex, & absque scandalo.
- 5 Infamati, vel inimici quando fuerint illi, qui sunt eiusdem ordinis, non admittuntur ad purgationem, sed alij.

C A P. Cùm in iuuentute. XII.

Infamia alienius quando non est nota ex probabilibus coniecturis, non est necessariò indicenda purgatio, potest tamen iudici ad instantiam purgandi. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabar. Ioan. Andr. Hofst. Butr. Anchar. Panorm. Marian. Socin. Viuian. in ration. lib. 5. iuris Pontif. pag. 229. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 732. remissive Ximen. in concord. p. 2. refertur ab Ant. Aug. collect. 3. Decret. lib. 5. tit. 17. c. 3. & pars alia huius Decretalis est supr. in cap. cum in iuuentute, de presump.

2 *Scientes quod dictum vnius facillè sequitur multitudo.* Vide Anton. Matia tom. 1. commun. opin. in presat. n. 4. pag. 2.

3 *Sed importunitate petentis, &c.* Notatur ad hoc, quòd omne rescriptum impetratum contra ius censetur per importunitatem obtentum, vt per Perez l. 1. tit. 12. lib. 3. Ordin. Azened. l. 1. à n. 1. tit. 14. lib. 4. noue recop. & l. 2. n. 27. tit. 13. eod. lib. 4.

4 *Nos autem postulationem, &c.* Notatur ad hoc, quòd si infamia sit simplex, & absque scandalo, & originem habuit à maleuolis procurantibus, purgatio Canonica non inducitur, vt per Bernard. in pract. c. 151. num. 9. Fr. Emman. quaest. Regul. tom. 2. q. 20. art. 1. vers. aduertere.

5 *Quia inter eum, &c.* Notatur ad hoc, quòd quando illi qui sunt eiusdem ordinis, fuerint inimici, vel infamati, non admittuntur ad purgationem, sed alij, vt per Bernard. d. c. 151. n. 6. vbi num. 8. aduertit, quòd infamatus ille indicandus non est, quem dicta paucorum infamant, si opinio eius apud bonos viros laeta non sit.

S V M M A R I V M.

- 1 Compurgator iurare debet de credulitate, & n. 2.

C A P. De testibus. XIII.

Compurgatores si iurent hoc solum, quòd credunt eum dicere veritatem, sufficit. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabar. Ioan. Andr. Hofst. Butr. Anchar. Panorm. Mar. Socin. Viuian. in ration. lib. 5. iuris Pontif. pag. 229. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 732. remissive Ximen. in concord. p. 2. refertur ab Anton. Aug. collect. 3. Decret. lib. 5. tit. 17. c. 4.

Hanc eandem concl. ex hoc text. delimitat Bernard. in pract. c. 51. n. 5. Tiraq. de retrat. art. 2. §. 2. gloss. 1. num. 10.

S V M M A R I V M.

- 1 Infamatus super defectu natalium, non debet promoueri, nisi prius se purget.
- 2 Ordines sacros suscipere volens probare debet se legitime natum, quoties de se contraria fama extat.
- 3 Negativa probari non potest directè, nisi resistatur in affirmatiuam.

C A P. Accedens. XIV.

Infamatus publicè de defectu natalium, de quo non potest constare, non debet promoueri nisi prius se purget, quia est non sit nota delicti, est tamen non impedimenti sacrorum ordinum. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabar. Ioan. Andr. Hofst. Butr. Anchar. Panorm. Marian. Socin. Viuian. in ration. lib. 5. iuris Pontif. pag. 230. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 732. remissive Ximen. in concord. p. 2. refertur ab Ant. Aug. collect. 3. Decret. lib. 5. tit. 17. c. 5.

Collige ex text. ad hoc, quòd Ordines sacros suscipere volens probare debet se legitime natum quoties de se contraria fama extat, secus illa cellame, vt per Menoch. de presump. lib. 6. pres. 54. n. 26. Hodie verò ex noua dispositione Concil. Trid. sess. 23. de reform. c. 1. volens ad maiores Ordines promoueri, per mensuram ante ordinationem Episcopum adire debet, qui Parocho, aut alteri, cui magis expectare videbitur, committat, vt diligenter de ipsorum ordinandorum natalibus, &c. inquirat, id est, an legitimi, vel illegitimi sint, vt interpretatur Campanil. in diuers. iuris Canon. rubr. 3. n. 5. vers. natalitia.

In gloss. Purgatione, ibi, quia negativa probari non potest directè. Ita Donatus à Fina tom. 1. commun. opin. lib. 4. tit. 9. n. 20. 28. & 35. Malcard. de probat. concl. 1408. Carot. de locato, part. 3. tit. de negat. probat. Rebuff. de exemp. à n. 160. Menoch. de presump. lib. 2. pres. 50. n. 8. Pacian. de probat. lib. 1. c. 38. Caidol. in praxi iudic. verbo probatio, n. 29. Probatum tamen si retulerit in affirmatiuam, Menoch. d. pres. 50. n. 24. cum seqq. Menoch. à Castro in praxi Instr. lib. 5. c. 1. n. 62. vel si habet affirmatiuam implicitam, Flamin. de resign. lib. 8. q. 2. n. 7.

S V M M A R I V M.

- 1 Purgatio non est indicenda super notorio crimine, si pendente causa super criminibus coram Papa designato ab Ordinario super eis recepta non tenet.
- 2 Notorium facti quòd sit, ostenditur.
- 3 Laicus contra Clericum in criminibus notorius esse potest.
- 4 Res inter alios acta nocet aliis ratione conexitatis.
- 5 Citatio in notoriis an requiratur, ostenditur.

CAP. CUM dilectis. XV.

- 1 Purgatio non est indicenda, sed condemnatio, quando crimen est notorium vel clari non possit. Item iudicio pendente coram iudicibus delegatis Papa, non debet Ordinarius purgationem indicere infamato, & si purgavit, purgatio non valet, sed est purgandus à delegato Papa si contra infamatum non apparet accusator. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zab. Ioan. Andr. Host. Butr. Anchar. Panorm. Mar. Socin. Viuian. in ration. lib. 5. iuris Pontif. pag. 230. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 732. remissive Ximen. in concord. p. 1. & 2. refertur ab Anton. August. collect. 3. Decret. lib. 5. tit. 17. c. 6.
- 2 Nullus inficiationi locus, &c.] Notatur ad hoc, quòd notorium facti est finita, & communiter indubitata probatio immediata ex natura facti, vel rei continuae, vel interpellatae, aut momentanea, se oculis hominum, aut maioris partis ita exhibens, ut nulla possit tergiversatione clari, aut negari, ut potest cuius uniuersus populus, aut maior pars testis esse possit, ut per Fatin. in praxi crimin. p. 1. q. 21. n. 11. Menoch. illustr. c. 2. n. 12. & c. 2. n. 23. Menoch. de arbit. casu 166. num. 4.
- 3 Vipote cuius uniuersa vicinia populus, &c.] Ergo laicus contra Clericum admittitur testis in criminibus notoriis, ut per Panorm. in cap. de cetero, n. 4. de testibus, ubi Felin. n. 6. Mascard. de probat. concl. 962. n. 8. & concl. 1358. n. 48. cum seqq. Crot. de testibus, n. 67. Beller. disquisit. cleric. p. 1. tit. de Clerico, teste §. 5. n. 6. vers. quinto, ubi etiam aduertit laicum idoneum esse testem ad probandam infamiam contra Clericum.
- 4 Notatur hic text. etiam ad hoc, quòd res inter vnos acta, nocet aliis ratione connexitatis, ut per Tiraq. in tract. res inter alios, vers. sicut igitur, 22.
- 5 In gloss. Non erat illi indicenda, ibi, citatio tamen facienda, &c.] Notatur ad hoc, quòd in notoriis etiam citatio requiritur, quando non constat citatum esse inexcusabilem, nullamque habere posse defensionem, ut per Fr. Emman. quest. Regul. tom. 2. q. 18. art. 1. vers. hac opinio.

SUMMARIUM.

- 1 Pralato de criminibus infamato non sufficit, quando se purgat, iurare quòd sit immunis ab illis criminibus, sed iurare debet quòd post suam promotionem illa crimina non commisit.
- 2 Nemo potest scire se esse in gratia Dei.
- 3 Vendentes iustitiam, vel bonum litis euentum, quam penam incurram, ostenditur.
- 4 Venalis sententia nulla est, nisi sit arbitri.

CAP. Accepimus. XVI. & fin.

1 Prælatus, ut Archiepiscopus, quando est infamatus de criminibus, & vult se purgare, debet hoc modo & forma iurare secundum sanum intellectum, id est, se illa crimina, de quibus est infamatus, non commisisse postquam fuit Archiepiscopus, & compurgatores debeat quoque iurare se credere enim verum iurasse, & non sufficit iurare quòd sit immunis ab illis criminibus, de quibus est infamatus, quia non tenetur iurare de tota sua vita, nec debet iurare quòd sit immunis, intelligendo quòd sint remissa per penitentiam iam factam, quia temerarium esset. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zab. Ioan. Andr.

Host. Butr. Anchar. Panorm. Marian. Socin. Viuian. in ration. lib. 5. iuris Pontif. pag. 230. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 732. remissive Ximen. in concord. p. 1. & 2.

Quia non debet asserere, &c.] Quia nemo potest scire se esse in gratia Dei, imò contrarium asserere est haereticum, & error Lutheri, quem damnat Alphons. de Castro lib. 7. aduersus hereses, in verbo gratia herese 3. & aperte damnatus fuit in Concil. Triad. sess. 6. c. 6. Can. 14. Nemo enim scit (ut ait Eccles. c. 9.) an amare, vel odio dignus sit, & Apostol. ad Corinth. 1. c. 13. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, vide plura ad hoc propositum per Nauar. in man. c. 9. num. 10. & c. 11. n. 8. & in cap. si quis, il. primo, n. 18. de Penitentia, dist. 7. Ianlen. in Proverbia Salomonis, c. 20. Proverb. 9. optime Menoch. conf. 82. num. 5. & 6. n. 58. & 63. cum seqq. & de pres. lib. 6. pres. 94. n. 95.

In gloss. Venditionem iustitia. De illis, qui vendunt iustitiam, multa tradit Azened. l. 7. n. 4. & 5. tit. 3. lib. 7. noue recop. De illis vero qui vendunt bonum litis euentum, & ad illum obtinendum cum partibus componunt, vide DD. per text. ibi in l. qui explicandi, C. de accus. Bobadil. in sua politica, lib. 13. c. 9. pag. 365. cum seqq. Farin. in praxi crimin. 111. n. 297. cum seqq. vbi n. 284. agit de illis, qui hoc faciunt extra curiam, & promittunt bonum litis euentum apud iudices, & de Aduocato hoc faciente. Hos impostores vocat Martial. lib. 4. Epigram. 5. fumi venditores, ubi P. Raderus eius scholias aliquid adducit: inde factum fuit, ut Alexander Senerus Imperat. ut refert Aelius Lampridius in eius vita, quandam Vetronium Turinum his fallacis vtentem fumo necari iusserit, clamante praecone, fumo moritur, qui famum vendidit, refert etiam, multa in hoc propositum adducens Horten. Caualean. de brachio Regio, p. 5. num. 69. & 70. Sebalt. Orozco in el thesoro de lengua Castellana, verbo homo, sic enim offensa Regi, & frans, & mendacium, & furtum litigantibus deceptis, de quo idem Orozco in suis moralibus emblem. lib. 2. embl. 19.

In ead. gloss. ibi, venalis etiam sententia nulla est. Ita depositum est apud Lusitanos in ordinatione Regia lib. 3. tit. 75. in princip. & apud Castellanos l. 13. tit. 22. partit. 3. resolunt Menoch. de arbit. casu 343. num. 6. Mench. usufreq. c. 37. Aules ad c. 1. pratorum, verbo donatione, n. 7. Peregr. de iure fisci, lib. 7. tit. 4. n. 6. cum seqq. Aloyf. Ricc. in collect. decis. p. 5. collect. 1449. Fatin. in praxi crim. p. 3. q. 111. n. 197. venalis vero sententia arbitri est valida, gloss. verbo exceptio, in fin. in l. ita demus, ff. de arbit. Camil. Borrel. in sum. omnium decis. tit. 63. n. 384.



De Purgatione vulgari.

TIT. XXXV.



UPER hanc rubr. scripserunt Zabarel. Ioan. Andr. Anchar. Panorm. Butr. Mar. Socin. Martin. Mesnart. in epitome Decretal. fol. 197. Petr. de Rauenna in compend. iuris Canon. Dan. Venat. in analysi methodica iuris Pontif. a pag. 709. Gostred. & Host. in sum. huius tit. Alex. Cassan. & Anastal. Germon. in paratitulis ad quinque libros Decret. Barthol. Carthag. in exposit. tit. iuris Canon. Ioan. Honor. lib. 5. summ. in Decret. omnes sub hoc tit.

De materia tit. vide Conar. lib. 4. var. c. 23. Ambros. de Morales in historia Hispania, p. 1. lib. 11. fol. 56. vers. 9.